

ad decemvirum collegium misit, munireque oppidum instituit : pauloque post ex tribus legatis, qui erant in exercitu, Gritto, Cornelio, Mauro, Cornelius a Senatu revocatus domum rediit.

Concupiverat Aloisius rex Maximilianum regem alloqui, ut illum in rempublicam accenderet : valde enim deliberatum ei erat, quidquid esset reliqui ex reipublica ditione in continente, urbemque ipsam, si res procederet, capere : id autem sine Maximiliani voluntate, quibus posset modis, quibus artibus consequi, non videbat. itaque ut hoc illi persuadere coram posset, suum interpretem Cardinalem Rotomagensen Tridentum ad illum misit, qui ab eo peteret, ut de magnis utriusque rebus colloqui secum vellet : tempus & locum ipse diceret : se, qua die, quoque loco vellet congregi, ad illum venturum. Maximilianus, qui neque hominem amaret, & maiorem ac potentio-rem nollet fieri, satisque haberet, quæ respublica superiore anno ditionis suæ oppida ceperat, sibi restitui, & se præter hæc Verona, Vicetia, Patavio esse potitum : cum, quam ob rem colloquium peteretur, haud dubie cognosceret ; fictis quibusdam abeundi causis, colloquio evitato, interius in regnum se recepit, perque suum legatum questus apud Aloisium est, pagos nonnullos & municipia in Veronæ finibus, quæ ad se spectarent, illum occupavisse. quibus intellectis rebus Aloisius, Pischeria, quam munire cæperat, discedens, in Brixianos fines rediit. Cremonæ interim arx, militum, qui in ea erant, scelere atque perfidia Gallis deditur, Aloisio Mula, Zacharia Contareno urbis prætoribus, Sebastiano Maripetro quæstore, qui in eam se receperant, Marco Lauredano, Andrea Dandulo arcis præfectis in prædam hostibus traditis, Mediolanumque abductis. quæ sane res magno dolori civitati fuit. nemo enim verebatur, quin omnem Gallorum impetum & obsidionem, si modo viri essent, quam diutissime sustinere potuissent. Ea capta, rex Cremonam se contulit. Illis diebus quod venerant Bassianum milites e Germania quatuor mille (id autem est oppidum in Me-

*Cremonensis arcis
deditio
VIII. kal.
jun.*

*VIII. kal.
jul.*